



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus à Scribis Pharisæisque in cruce illuditur art. & hom. XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

à via Dei recedamus, nec propter mundanam honestatem aliquid agamus, quo minus placeamus Deo. Sed Deo placere, studium nostrum fit, quod si obtinere poterimus, feliciter vivimus, quantumlibet à mundo miseri, inopes atq; contemptibiles iudicemur. Iterum docemur, ante omnia servare vnitatem, concordiam, pacem, vt id ipsum velimus in Domino omnes, & non sint in nobis schismata. Nemo autor sit dissensionis, nemo dissidij, sed charitatem & pacem sectemur omnes. Pro ijs noster zelus adeò vigeat, vt pro charitate, vnitatē ac pace, parati simus sustinere iniurias, contemni, pati damna, iurijq; nostro cedere, ne scindatur vnitās, ne vè charitas lædatur. Dicit fortasse: Ego inter eos habito, à quibus iustitiæ via non frequentatur, vbi nemo est qui Dei femitas non transgrediatur. Dicunt enim bonum, malum: & malum, bonum. Nunquid iam vt cum eis seruem charitatem, illorum moribus me conformabo contra conscientiam meam? Minime. Neque enim est dicenda charitas, que scita est in communiōe peccatorum, aut quæ participat in transgressione præceptorum Dei. Porro si tu verbo, si exemplo alios potes excitare, vt se tibi in bono conforment, optimam & Deo dignam rem facis. Si verò nihil proficis, & illi fortasse virtutem in te etiam persequuntur, sustine patienter, noli verbis contendere, sine eos in adiuuentionibus suis ambulare, tu non relinquantur. Noli deferere virtutem, pro qua si persecutionē iniuriasq; sustinueris, in pace sustine. Non reddas malum pro malo, esto tu in pace, vt sis non qui persecutionem facit, sed qui patitur: non qui inutiliter aut contumaciter obiurgat, sed qui obiurgatur. Hoc modo Christi tunicam, hoc est, congregationem illam in qua viuis, non scindes, sed ipsi qui malis suis moribus abstinerent nolunt, scindunt.

Zelandum quantum sit pro charitate & pace.

Esaie 5.

1. Tim. 2.

Tunica Christi quomodo mysticè non sit scindenda.

IESUS A SCRIBIS PHARISEISQUE IN CRUCE
illudatur. Articulus XLVI.

Pratereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas, saluum fac te metipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum deridebant illum, illudentes ad alterutrum cum scribis & senioribus, & dicebant. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere? Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus: Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia filius Dei sum. Illudebant autem ei & milites, dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant & conuiciabantur ei.

Matth. 27.
Marc. 15.

Lucæ 23.

Matth. 27.
Marc. 15.
Lucæ 23.

Matth. 27.
Luc. 23.

Matth. 27.

HOMILIA XLVI.

Magna hic inauditaq; Iudæorum probatur crudelitas, qui ne vlla quidem cōmuniōe naturæ Christo condolent patienti: sed feris etiam imma-

Crudelitas Iudæorum magna & inaudita.

O

immaniores, Christum in extremis vita, atq; inter acerbissimas pœnas constitutum, vnde, vt ipsi putabant, sese eximere non poterat, adhuc persequi nõ desinunt: & quia opere iam facere plura non poterant: persequuntur saltem lingua, Christo sua beneficia impropertantes. Præteribant enim Domini crucem, mouentes capita sua ad alterutrum tam scribæ, quam seniores, milites quoque ac principes, & omnes qui doloribus Christi & cruciatibus merito compari debebant, ad eõ non sunt comparsi, vt etiam irriderent, & exprobrarent ei mansuetudinem eius atq; patientiam, quam pro infirmitate accipiebant, quasi qui huiusmodi cogatur pati, nec sese aut vlcisci aut liberare possit. Quæcumq; illis ad eruditionem dixerat, eidem in contumeliam vertunt. Quicquid beneficiorum infirmis contulerat, quicquid fecerat signorum, ad ignominiam ei exprobrant. Dicunt enim: *Vab qui destruis templum Dei, &c. Si filius, inquit, Dei es, descende nunc de cruce, quasi dicerent, Nunc apparet nobis te esse deceptum, qui filium te Dei iactabas, quandoquidem à patre (vt nominas) tuo nihil habes auxiliij. Aut ergo te non amat pater, aut te non agnoscit filium. Neq; enim in his te pœnis fineret discrucari, si te filij nomine dignaretur. Atq; rursus dicebant: *Alijs saluos fecit, seipsum non potest saluum facere?* Beneficia contulit sanitarum: veruntamen qua virtute id fecerit satis constat. Sua enim virtute non fecit. Quomodo enim sua alios posset virtute curare, qui seipsum non potest? Minimè existimandus est (si posset aut si virtute aliqua donatus foret à Deo) seipsum negligere, qui alijs se finxit succurrere. Non igitur sua virtute alios liberauit, quandoquidem liberare semetipsum non potest. *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Regem se fatetur & Christum atq; Messiam, qui redempturus sit Israel. Redimat se ante de pœna crucis, & confestim credemus ei. Credemus nos quoq; per eundem liberandos si primum in eo viderimus virtutem, qua se redimat. *Confidit in Deo, liberet cum nunc si vult.* Vana est eius spes & fallax, quam habet in Deo, qua presumit se Dei esse filium aut amicum. Ostendat hoc Deus, quod illi sit cura de ipso, quemadmodum vtiq; cura esset, si filius Dei ille foret. At vbi nulla est cura Deo de illo, quis non videt figmentum mendaciamq; esse temerarium, qua se Dei hic filiu iactat? *Descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Fraudulenta atq; dolo plena est hæc promissio, Maiora enim signa fecerat Iesus, quibus non crediderunt Iudæi: vnde conficitur, quod ramer si descendisset, nullo tamen pacto credidissent. Dixissent namq; arte magicâ, aut virtute dæmonum se liberasse, quomodo alia eius sunt miracula calumniati, asseribentes virtuti principis dæmoniorum. Quis enim dubitat, maius esse miraculum, mortuos resuscitare de sepulchro, quam viuum licet cruci affixu, descendere de ligno? Illud enim miraculum in Lazaro à Christo factum viderunt, cui noluerunt credere. Quomodo ergo crederent, si vel Christus de cruce descenderet? Si credere velint, credant vel saltem resurgenti à morte, ac prodeunti clauso sepulchro: quod haud dubium multo est maius, quam descendere de crucis ligno. Christus enim quomodo multos suscitauit, licet iterum morituros: sic semetipsum resuscitauit resurgens, nunquam moriturus. Nunquam tamè propterea Iudæi vel postea credere illi voluerunt. Aduerte iam & expende, quam iniuriosum sit, Dei filio, imò cui libet morituro, seu ad mortem damnato, illud: quanto magis innocenti & filio Dei? Vide etiam quam sit dolorosum, quam*

Promissio
Iudæorum
fraudulenta.

Morituro il-
ludere quã
sit iniurio-
sum.

quam vulneretur quoque quoduis cor hominis pijs, si infirmus sit, si patiat, si derelictus fuerit & miser, nemo tamen illi in doloribus compatiatur, nemo illum infirmum consoletur, nemo illi credat. Nonne hæc cordis duritia, quam apud eos qui illi cohabitant, aut illi astant, erga se sentit infirmus, plus ipsis corporalibus doloribus eundem affligit? Iam vide quantum tunc affligatur infirmus, ubi est: non solum non creditur, verum etiam in doloribus irridetur, despicitur, illuditur atque eidem exprobratur. Super omnia autem & maxime vulnerat, si ab ijs sublannatur, quorum nomine, pro quorumque salute vel calamitatem vel dolorem sustinet. Vide ergo iam, quomodo Christus illuso in cruce Christo facta quæ fuerit dolorosa.

sublannatur, irridetur, exprobraturque ab ijs, quibus animam & corpus dederat, quibus seruabat vitam, quos pascebat, quibus sanitatem, robur, diuitias, honoresque ac omnia reliqua tribuebat. Ad hos redemptor, à quibus blasphematur, venerat: ex eorum sanguine atque gente fuerat natus, pro ijs patiebatur ipsos colligere atque saluare volebat, ipsis beneficia cum animarum tum corporum præstiterat: pro ijs tamen bonis omnibus ipsum occidebant. Ipse sanauerat eorum languidos, sed hoc ipsum iniqui ei peruertebant, quomodo omnia exprobrabant ei beneficia, nihil moti quod paulò ante pro illis rogauerat. Fuit autem hæc machinatio ac instigatio diaboli, qui linguas Iudæorum excitabat, ut vel Christum ad impatientiam, vel ad desperationem moueret, aut ut per vanam gloriam de cruce descenderet. Timebat enim diabolus multum, ne Iesus saluator fortasse esset mundi, videns in eo miram patientiam, id eò nihil non tentauit, quo eius passionem impediret.

Cruce penitentia quomodo non sit deferenda, quam item derisiones prauorum probi quique patienter ferre debeant.

DOcemur autem hic, à cruce penitentia, cæproque opere bono non desistere, propter obreptantium deridentium uel linguas: sed constanter longanimitereque in via virtutis perseverare. Iterum discere debemus, ad derisionem virtutis aut patientia nostra gaudere. Nam si Christo uolueris vicem rependere aut gratias agere, non respondeas tu quoque exprobrantibus tibi uerbum. Si uero propterea, quia sustinendo patientem te exhibes, amplius deridet mundus: si habere pro asino, uelut qui iniurias non intelligat, & qui se aut non possit, aut non auit vindicare: ascribaturque ignauia tua quod est virtutis, gaude, quia Christo conformaris, & quia uirtutem custodis, quoniam hic non habes honorem, præmium aut gloriam uirtutis, sed in futuro accipies seculo.

Crucem penitentia non esse derelinquendam.

Gaudendum esse ad derisionem uirtutis nostræ.

IESUS LATRONI SE INVOCANTE PARADISUM PROMISIT. Artic. XLVII.

VNUS autem ex eis qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac me ipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste: Nam digna factis recipimus. Hic

Lucæ 23.

O 2. uerò